

Πο
366



K.
173



K.
173

1817

No
366

CHRISTI OPE!
DISPUTATIO CHOROGRAPHICA
DE
SILEZIA,

Quam
Sub Præsidio
VIRI AMPLISSIMI EXCELLENTISSIMIQUE
DN. CHRISTOPHORI NOZEMAN-
GES / Math. Sup. P. P. celeberrimi, Amplisf.
Fac. Philos. h. t. DECANI Spectabilis, Dn. Præcepto-
ris ac Patroni sui devenerandi,

placida eruditorum disquisitioni sistit

CAROLUS OXLED B / Olsnâ-Silesius.

Habebitur A. D. IX. Junii H. L. Q. C.



WITTEBERGÆ,

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr. A. clō Is c II.



XXX





Anteloquium.

Quam post *Dav. Chytraeum Phil. Cluverius*, non incelebris uterque Vir, *Historiae lumen atque oculum* meritisimo censuit, GEOGRAPHIA, digna profecto satis est, quæ tum à quocunque Litterato, tum præprimis etiam à Theologiæ Studiofo non negligatur, sed colatur quàm diligentissimè. Neque huic asserto ut cogam curiosiùs rationes, fidemq; anqviram operosè est, cum vel ex hoc uno manifestum adpareat, quod passim in Sacris Litteris, quæ Theologorum palæstra sunt unica, tot locorum, tot itinerum mentio fiat frequens, ubi hæserit egregiè, qui hoc in genere fuerit ἀγαμέμνη. Quæ cum probè constiterint mihi, & hæcenus huic studio horas lo. are nonnullas, & impræsentiarum materiam ab eo exercitii petere disputatorii, operæ pretium existimavi. Deligere autem quâ fronte aliud potuissem thema præter id, quod in capite harum pagellarum prælucet? Quodnam aliud poscenti Geographia promptiore manu exhibuisset, præter Patriam terram? cum & huic, non nobis unis nati simus, & hæc sibi juxta cum amicis partem nostri vindicet. Quod ergo felicitet supremum Numen, quod paternæ telluris honori cedat, postremò quod studiis quoque nostris proficuum sit & salutare, prodeat Disputationis hujus

SECTIO PRIOR

exhibens

Chorographicam Terræ Silesiæ

descriptionem.

I. Quod ad exemplum *Platonis in Cratylo & Aristotelis in locis quàm plurimis Illustris Scaliger exerc. 1. sect. 1. congruum*



1820
& nescio an planè necessarium esse censet, & nos sequemur, à voce, ad rei ipsius cognitionem promoturi pedem, primumque laborem circa Etymologiam SILESIÆ nostræ patiemur impendi. Laborem autem dicimus fortassean non immeritò, cum tot variantes hîc sese offerant sententiæ, ut quam reprobes, quam arripias circumspicere negocii non sit nulli.

II. A *Schleso amne* derivari Silesiam tradit *Ortelius Theatro orbis tit. Silesia ex Münst. Cosmogr. l. 5. cap. 463. fol. 1322. Mercator in Atlante suo tum minore M m m, tum majore pag. 333.* autorem hujus deductionis nominat *Conradum Celten*, qui *l. 2. amor. eleg. 5.* hunc amnem Oderæ quicquid habet limfarum conferre scribat. Sed quis ille *Schlesus amnis*? Quis tam linceis est oculis, qui perspiciat? tam emunctæ naris, qui subodoretur? Certè si omnes Silesiæ fluvios etiam minutulos, quorum Syllabum satis accuratum diligentissimus Silesiæ Enarrator *Schikfusus Chronici l. 4. c. 4. p. 16. & 17.* contexit, quorum item præter hunc locum aliubi ulla fit mentio, volvo revolve, quæro requiro, ne qui sono quidem vel parum respondeat isti *Schleso* reperitur. Quin & si reperiretur, amnis populo, an populus amni dederit hoc nominis, forte foret æquè controversum.

III. *Ortelius* ex eodem *Münstero l. d.* ipse ambigens de priori, aliam apponit formationem vocis à *Rege Schleso*. Sed quamvis Reges populis persæpe dedisse nomen, non infitemur: *Schlesum* tamen Regem fuisse unquam, dum nec in *Poloniæ Historiis Duglossi, Dubravii, Cromeri, Johannis Herburti de Fulstin & aliorum*, nec Silesiæ Delineatoribus, nec antiquæ Germaniæ monumentis, quæsitum inveneris, meritò de fide & hujus etymologiæ dubitabis.

IV. *Borek in Chronico Bohem. Dubravii* item *fol. 81. l. 8.* citatur *Schikfusio l. 4. cap. 1. p. 2.* quibus placuerit Silesiæ à *Serpendo*, Germ. *schleichen/einschleichen*/venisse vocamen: eò quod cum transfirent à Polonis ad Bohemos Silesii, passim etiam velut inserpere paulatimque irreperere Miseni, Pomerani, aliique populi fuerint animadversi. At, cum ea defectio à Polonis, facta demum fuerit ante hos CCCXXII annos, ut videre est
apud

1821
apud Schikfus. l. 1. c. 28. p. 67. Silesiæ autem nomen ducentis mi-
nimùm annis antiquius sit, [vid. Henel. Silesiographiam c. 1. p. 3.
delituere autem Silesii antè sub Polonorum uti imperio ita
nomine] erroris compertam vides opinionem, ridiculi an
crassi magis, non facile decreverim.

V. Sunt qui ab Elisiis nos petant, dii de æg, quam non vanè solum,
sed ridiculè! frigidò quippe soni argumento, quod nullo alio fulcitur
tibicine, verba sunt gravissimi Silesiæ Scriptoris, D. Nic. Henelii
in aureâ Silesiogr. cap. 1. pag. 3. Commemorat derivationis hujus
(quam rejicit quoque Ortelii Epitomator Levinus Hülsius cum
Johanne Cratone, in descr. Silesiæ pag. 88) applausorem Curæum
Chron. Sil. Mercator in Atl. Maj. l. c. Defendit eandem mordici-
tus Schikf. laud. Chron. l. 1. cap. 19. pag. 58. & l. 4. cap. 1. p. 2. in primis
autem l. 1. c. 2. p. 12. & 13. ubi censet, si vel maximè à Polonis Sile-
siæ nomen fuisset excogitatum, quod volunt alii, ut videbi-
mus in seq. tamen causam adpellationis nullam fuisse aliam,
nisi antiquam incolarum Silesiæ memoriam, quos certò cre-
dit Lygios fuisse Elisios, qui descenderint à pronepote Noa-
chi Elisâ, quem genuit Japhan filius Japheti, quemadmodum
accepimus à Mose Gen. 12. v. 2, 3, 4. At vero cum incertissima sit
hæc conjectura, in seq. etiam præferim sect. post. pos. 2. ex Clu-
verio probetur, Taciti Elisios Silesiam non incoluisse, non
possumus non laudato Vratislaviæ suæ Nestori HENELIO
manus dare.

VI. A Slavis sive Sclavis, aut Esclavis vocem trahunt alii.
Merc. Atl. Maj. l. c. Peucerus & Reineccius eo nomine Cl. D. Hene-
lio citantur. l. cap. & pa. cc. Et Peuceri quidem Sententiam repe-
rire est in Chron. Carionis l. 4. p. m. 640. ubi moveri se significato &
cognitione vocum asserit, item p. 731. de quâ notatione acquie-
scimus eruditò judicio Magni Henelii, qui: Sed mihi crede, in-
quit l. d., neque hîc firmitas: Opinio est, de quâ illud magni Vatis
usurpes. [Ulyss. T. 203.] ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτυμοῖσιν ὁμοία.

VII. Sextum etymon comitatur & consequitur quasi præ-
cedens, dum statuunt partim, partim referunt saltim Autores
laudati Mercator Atl. Maj. pag. 333. Ortelii Epitomator Hülsius l. c.
Peuc. l. 4. Chron. pag. 731. Schikfus. l. 1. cap. 2. & 19. Cromerus, alii,

1822
Silesios dici quasi *Slesacos*, h. e. *Conueuas*, quod cum Slavo-
rum, item *Qvadorum* nomine, tum cognatione, tum signifi-
catu conveniat. Sed audiamus super his Geographorum ve-
rè Principem *Cluverium*. Hic in aureo suo, de *Germ ant. Opere*
l. 3. c. 31. de Qvadis, post alia, cum erroris arguit eos, qui *Qvados*
Silesiam olim incoluisse statuunt; *Qvadorum ac Silesiorum*,
inquit, quos Germani die *Schlesinger vel Slesinger* vocant, no-
mina eandem rem significare putant: quaat enim Oceani accolis Ger-
manis est malum sive improbum quod Slavorum genti *zle*, quasi *Slavi*
in has oras ad vecti Germanicum vocabulum in suam linguam com-
mutarint. At hoc primò demonstrandum erat, Polonorum Slavicae
gentis *Slasko ac Czechorum sive Bojohamorum Slisko*, quibus voca-
bulis terram Silesiam adpellant, à voce *zle* deducta esse, quod nemo
unquam neq; Polonus, neq; Bojohamus, neq; alius quisquam Slavicae
gentis homo concesserit. Haetenus *Cluverius*, cui, ob ignoran-
tiam sermonis Slavici contradicere cum nequeamus, cogi-
mur fasces submittere.

IIX. Tandem denique sunt & qui derivant à monte *Silen-
si vel Silentii* olim, nunc *Sabotho*, quo de postea *th. 13. V. Merc.*
Atl. Maj. p. cit. ubi laudat *Davidem Milesium Nisf. Siles. de montib.*
Germ. & Dithmarum Chron. l. 7, qui Silesiam vocat pagum *Silensi*,
quod *Mercator* pravè ibi vertit *das Dorff Silens*. Cum enim
pagus, ut notat quoque laudatissimus *D. Henelius p. cit.* non,
quomodo hodiè, pro villâ vel vico muris carente; sed more
antiquo *Cesaris* & aliorum pro regione, territorio, aut distri-
ctu capitur, Germanis veteribus vertitur non *Dorff* sed *Gaw*
vel *Gow* / unde adhuc residua nomina *Brûßgaw / Nordgaw /*
Tûrichgaw / &c. ut habet *Cluverius ó πείρω l. 1. Germ. ant. c. 13. p. 113.*
Sed hoc *ώς εν παρῳδῳ. Schikfusius lib 4. c. 8. p. 50.* vetus adducit,
quanquam aliâ de causâ, manuscriptum, quo etiam obsoleta
ista *Saboti* adpellatio habetur: Anno Christi 1170. *Jo. Valterus*
*Episcopus confirmavit privilegia Canonorum Regularium Arroa-
sienſium B Virginis in Arenâ*, qui prius habitabant in monte *Silentii*,
aliàs *Sabothka* à *Vratislaviensi* civitate distans per milliaria quin-
que: ubi *Petrus Comes* in vertice ipsius montis suum habebat ca-
strum, prout exstant reliquiae castrum ejusdem. Et hæc deductio

juxta

1823

juxta cum *Mercatore* mihi quidem arridet cum maxime, salvo tamen cujuscunque saniore judicio. Sentire enim & dissentire heic credo liberum. Neque, ut rursus *Cl. Henelii* verba faciam mea, *hic versantur opes Silesia.*

IX. Cujus descriptionem ipsam justo ut nunc persequar ordine, quemadmodum *Excell. Cl. q. Dn. PRÆSES* in *Synopsi sua Mathem. Superiori anno edita* l. 5. parte *Gen. Geogr. de globo Terra in gen. p. 344.* 1. Affectiones nempe quantitatem, figuram positum, longitudinem & latitudinem. 2. Partes globi terræ tradit: ita & hæc disquisitio primum SILESIAE terræ ventilabit affectiones, inde partitiones varias dispiciet.

X. QUANTITATEM Regionis quod spectat, secundum ambitum, qui mos dimetiendi Regionum amplitudinem olim *Victoribus* per erat usitatus, eam annotatam à quoquam ejus descriptore non invenio, nec si annotata esset, exinde collectio magnitudinis ejusdem accurata hauriri posset, quia nec circularibus quasi terminis inclusa est regio, nec in circulum aliquem ordinatè inscribi potest. *V. Disp. Mathem. sub Præsidio Excell. Domini Præsidis Anno 1648. M. Aug. habitam posit. 4.* Longa tamen est ab oriente versus occasum *Mercatori in Atl. maj. p. 333.* itemq; *Schrædero Hist. totius orbis descr. p. 71.* circiter XL milliar. *Germ. Amplis. Dn. Henel.* aliquantò plus, *Mercatori in Atl. maj.* itemque *Petro Bertio in Tab. Geogr. pag. 447.* L. milliar. *Germ. Schikfusio LV. lib. 4. c. 1.* in Tabulis etiam variat prout dimetiens variat in constitutione terminorum longitudinis. Si inter Occidentem & Septentrionem in finibus Ducatus *Crosnensis*, usq; ad fines Ducatus *Teschinensis* quæ *Moraviam* è regione tangit terram, metiris, *Schikfusium* à veritate aliena non dixisse oppido tibi constabit, nec cæteros ut mendacii arguas, habebis, si exactè ex oriente ad occidentem sive à *Poloniae* terminis ad *Lusatia* confinium lineam duxeris & expenderis. Latitudo omnium consensu unanimi viginti est præter propter milliarium. *Ortelius* dierum Spatio metitur, & longitudinem quidem in *Theatro suo in descr. Silesia* IV, latitudinem vero III dierum itinere patere statuit. *Epitomator* autem laudatus *l. c.* consentiens cum eo quoad latitudi-

1824
tudinem, in diversum it, quod ad longit. attinet, quam sex
[Münster. in Tab. Ptolemæo annexis ad VIII vel IX extendit] die-
rum itinere emetitur, rectius me quidem iudice, correctiusq;
cùm longitudo ejus secundum omnes laudatos autores lati-
tudinem bis omnino exhauriat.

XI. FIGURA Silesiæ Patriæ non circularis est, sed tetra-
goni speciem, inæquilateri tamen præ se ferre videtur. Latus
Orientale à fonte Vistulæ nobilissimi fluminis, quod Carpa-
thi sibi vindicant radices, ad Brednitii amniculi caput supra
Bithoniam, milliarium 20. Occidentale ejusdem prope nisi
amplioris paulò mensuræ ponunt à Crosnâ, quâ se Bobera in
Viadrum exonerat, ad Qvis si fluminis usque fontem in mon-
tibus Sudetis. Meridionale per lineam à Vistulæ capite ad ca-
put Qvisi deductam longitudine XL milliarium terminatur.
Postremò Septentrionale à fontibus Brednitii amnis ad con-
fluentem usque, qui est Crosnæ itidem XL secundum *Hene-
lium*, *Schikfusio* vero, nescio quâ ratione LV milliarium,
cum diligentissimè dimetienti mihi in diversis tabulis Geo-
graphicis, nullibi tamen, ne quinquaginta quidem milliaria
proveniant, nisi si à Nisæ cum Oderâ confluente apud Gube-
nam ad extremam usque Moraviæ oram per mediam Silesiam
instituaturs dimensio, ubi autem non describitur latus Regio-
nis boreale. At forsan Typographi, non Autoris erratum
est.

XII. SITUS prætereà illius, ut Astronomorum observâ-
runt Filii, sub Virgine est & Mercurio in climate Septimo V.
Clav. l. i. Introd. Geogr. Collimitaneis ei, à Septentrione Mar-
chiâ Brandenburgensi & Poloniâ: ab Oriente eadem Poloniâ
& extremâ Hungariâ finitur: à meridie circumscribitur Mo-
raviæ & Bohemiæ terminis: ab occaso denique Sole Lusatia
inferior conregionalem ei sese offert. Tellus ipsa nec mon-
tosa omnis: quâ enim Borean respicit & zephyrum plana at-
que à montibus libera, collibus autem hinc inde amœnis-
simo ostentat, ac vallibus inter illos non jucundis magis quam
frugiferis occultat divitem lætissimæ, segetis penum: nec o-
mnis campestris est, Austrum enim versus montibus quoq; in-
surgit

furgit ingentibus, iisque non sterilibus & investibus sed silvarum vetustarum venustarumq; coronâ exornatissimis.

XIII. Ac interior quidem *Silesia* principe loco *Saborum* effert sublimi capite, montem *Silenti* olim dictum, ut adductum voluimus *ib. 8*. Distat hic à *Svidnicio* non in celebri *Silesidos* opido duobus milliariibus. *Sch: kfusius l. 4. c. 3. p. 13. & c. 11. p. 81.* censet esse *Asciburgium Ptolemai* montem, & facere cum eo videtur *Mercator Atl. Maj. p. 106. & 107.* qui *Tabulam Ortelii* Germaniæ antiquæ operi suo inseruit, ubi cis *Oderam* idem ille mons ponitur, æquè ut in *Tabulis* antiquæ editionis *Ptolemaicæ*. Sed si studio intentiore perpendimus longitudinem & latitudinem isti monti à *Ptolemæo* assignatam, quæ cum hodiè *Saboto* parum convenit, magnitudinem item ejus in *tabulis* laudatis *Ptolemai & Ortelii* si libramus attentâ mente, pedibus in sententiam imus magni *Cluverii* qui *lib. 3. Germ. ant. cap. 32 & 48.* interpretatur hunc montem non *Saborum*, cujus ut minoris si alios respicias, nusquam, nisi fallor, meminere, sed trans *Oderam* *Wartamq;* locatos montes, qui ex *Sarmaticis* jugis in *Poloniæ, Hungariæ, Moraviæ, Silesiæq;* *Superioris* confiniis per *Poloniam* ad mare usque *Svevicum* procurunt. Cæterum montem hunc, *Zottensem* quoque dictum, descripsit peculiari gereleganti Carmine *Franciscus Faber*, item *Johannes Blaufus in Phaselo Catulli Viri Cl. Andrea Senfflebbii Parod. 38.* Montes *Gradecius, Acutus, S. Georgi*, incolis *der Grâns spitz & Georgesberg* tum arcibus superstructis, tum terræ sigillatæ, quâ de *V. sect. post. pos. ult.* effossione, cæterum magnitudine non item celebres sunt.

XIV. *Exteriolem Silesiam* meridiem versus cingunt montes *Sudeti*, pars celebratissimorum illorum *Herciniæ* saltuum montiumque, quorum & *Ptolemaus lib. 2. c. 11. Plin. l. 16. c. 1 & 11. l. 4. cap. 14. Diodorus l. 5. Strabo lib. 7. Ammian. Marcell. l. 21.* immò *Cesare teste lib. 4. bell. Gall. Enatosthenes*, ante hunc autem *Apollo-nius Rhodius in 4. Argon. & ante hunc etiam Aristoteles lib. 1. Meteor.* qui scribit ἀγνώμοι ὄρη, meminere: prolixius ista deducente *Cluverio γεωγρ. Πρωτὰ τὰ* laudati *lib. 3. Germ. ant. c. 47.* Vocantur & *Riphai, Gigantaris, Cerconesi, Niviferi*, Germanis das

1826
Böhmischt. Risen. Schnee. Gebirge. In his vertice elato præ ca-
teris superbit mons Gigantæus, duplici præprimis nomine ce-
leber, divite metalli venâ & Spectro, incolis der Riebenzahl di-
cto, de quo exstat egregius discursus l. 4. Silv. in Hercinia Opitii
sub personâ Magni Wittebergæ nostræ Oratoris, Vatis & Lu-
minis Augusti Buchneri, multa item apud Henelium Silesiogr. c. 1.
p. 6. Schikfus. l. 4. c. 2. p. 11. & 17. aliosq; Commemorandi ejus si-
quidem alius, εὐὲν ὁ θεὸς Πιτρεῖν καὶ Ζήσομεν, propediem mihi
intenditur locus, in præsentem illum missum facio. Mons hic,
uti & Sabotus, Silesiorum audiunt prænuncii tempestatis,
quippe qui capita fumis fristioribus obnubentes, pluvias pro-
pinqvas designent. Ortum versus Silvis & montibus Polo-
niæ vallatur.

XV. Qualis a. hoc situ hæc nostra Silesia? Certè, omnium
consensu, & agris mesibusq; læta, (Vratislavienses autem,
Strelenses & Leobschucenses agri fertilissimi, cum sexto, o-
ctavo, decimo etiam respondent) & arboribus fructiferis ri-
dens, & fluminibus rivulisq; qui certi fecunditatis prædicatæ
fontes, irrigata, & lacubus, piscinisque omni piscium genere
refertissimis abundans, & silvis vario animantium populo
scatentibus dotata, & avium diversis nationibus habitata, &
metallis variis exuberans, & cimeliis singularibus & sibi uni
propriis gloriosa, & urbibus quamplurimis (de quibus in par-
titione Silesiæ th. 20. & seq.) ornata, & deniq; incolis quâ gen-
tem quâ mentem nobilissimis felicissima.

XVI. Non deducam singula latius, quod pagellarum quo-
que vetat angustia, quarum cancellis curtissimis molimine
non minus irritò omnia Silesiæ meæ dona bonaque circum-
scribere conarer, quàm qui scrobi exiguæ immensas Oceani
limfas infundere se posse censeret. Fluminum tantum Sile-
siacorum indicem hic appingo, quorum familiam gerit Via-
der sive Odera, ortus in Moraviæ terminis exiguo supra opi-
dulum Oder spatio: de hujus nomine V. Sect. post th. 5. & 6. Ca-
teri minorum gentium in utramq; ejus ripam sese involvunt,
Ostra, Elsa, Oppa, Steina, Nissa uterque, Ola, Weida, Stobra,
Cattus, Barusius & postremò, auctus antè Qvishi, Zaki, Sprot-
tæ

1827
tæ aliisque fluvialis, decantatissimus ille tot tantorumq; Vatum Parens Bobera, cui Clarias propterea invidere iurias, novimus.

- XVII. De cætero incolarum Silesiæ ingenia adamare & commendare præ aliis solitus est magnus ille Germania Præceptor Melanchthon V. ejus litt. ad Henr. Lign. Ducem. Petro Bertio Nobilitas Silesiaca prædicatur magnificè: Eidem & Urbium cultura atq; studia. Levinus Hulsius descriptionem Silesiæ in hæc verba finit: Man findet nicht baldt eine Landschafft die mit so viel gelährten Männern und wohlgeordneten Schulen versehen sei als eben Schlesien. Aliis alia cantantur. Frumenta Silesiæ, poma, nuges, vina, metalla, gemmas, stibium, latumias, marmora, cotes, feras, aves, quadrupedia domestica, apiaria, piscinas, pisces, fontes, acidulas, thermas &c: qui pernoscere auct prolixius, et me satisfacere hinc non posse ingenuè candidèque confiteor, digitum autem intendens eum remitto ad laudatissimum Dn. D. Henel. Sil. c. 1. 2. 3. 4. 5. Schikf. Chro. l. 1. it. l. 4. c. 1. & seqq. Curæum fol. 17. & seqq. Münster. Cosm. l. 1. c. 463. Ortelium in descr. Sil. Æn. Silv. in descr. Ger. Sabellicum Enn. 10. l. 2. Franciscum Irenicum in Exegesi Germ. Georg. Rithaymerum de orbis Situ. D. Gaspar. Schwenckfeld. de animantibus, it. gemmis Silesiæ, & alios.

XIIX. LONGITUDO & LATITUDO claudant affectiones Silesiæ nostræ. Illa secundum annotationem Geographorum & Astronomorum à gradu XXXIIX prope usque ad XLII protenditur: Secundum hanc poli elevatio summa fermè LII, ima L est graduum.

XIX. Sed tribuamus nunc in Partes Regionem nostram. Antiqua & in vulgus nota ejus distinctio est in superiorem & inferiorem, quæ hodiernum durat, abolitâ illâ trichotomiâ, quæ A. C. 1164. inter Boleslaum Altum, Mieslaum & Conradum I. Principes Polonos contigit, brevisq; admodum avi existit. Superior Silesia audit, quæ meridiem versus montes Sudetos Carpatumq; seu Asciburgium attingit: inferior autem quæ Lusatiam, Marchiam Brandenburgensem & Poloniam majorem. Hanc distributionem è vestigio consequitur alia in Principatus sive Ducatus, quos vulgo vocant, XVI & Baro-

natus liberòs IV, secundum accuratiores Scriptores HENE-
LIUM Siles. c.1. p. 7. Schikfus. l. 4. c. 2. Cluver. in *Intröd. Geograph.*
l. 3. c. 13. p. 81. Mercatorem in *Atl. maj.* p. 336. qui in *Atl. min.* omit-
tens Crosnensem & Jägerndorffensem Ducatus, Bernstadien-
sem autem separans ab Olsnensi XV eorum constituerat.
*Schræd. in Hist. orbis T. descr. l. 1. c. 4. p. 71. & Abr. Gölitz in novo Cõ-
pendio Geogr. l. 2. c. 4.* numerant XVII, Bernstadiensem addentes
illis XVI, qui tamen sub Olsnensi, ut territorium ejus conti-
netur. *Bertius in descriptione Sil. pag. 447.* XV numerat, omisso
Crosnensi, quem etiam in tabulâ adjunctâ Silesiæ terminis ex-
cludit. Erroneè prorsus. Magis autem errat *Ortelii Epitomator
Hulsius l. c.* qui XII tantum esse retur. *Ortelius ipse l. d. ex Mün-
steri l. all.* duos Comitatus Lignicensem & Svidnicensem con-
stituit, de cæteris in eâ quidem editione quam ego vidi, in eo
altum silentium. Primum laudatos Auctores, quorum de-
scriptioni hodiè-facies Regionis respondet exactissimè, nos
sequemur, & de Ducatibus eorumq; Urbibus agemus eo, quo
sæpius laudatum Silesiæ suæ Decus *Henelius* recenset, ordine.

XX. Vratislaviensis Ducatus Urbes habet: Vratislaviam
Metropolin, compendium, asylum, *ὀμδαλὸν καὶ ὀφθαλμὸν*,
gemmam, reginam, coronam Silesiæ, quæ Episcopatu aureo
clara, ad confluentem Viadri & Olæ, qui ipsam interfecat, si-
ta, [*Ortelius* addit, *inter duos montes*, errore manifestissimo] o-
lim à Micislao Polono Princ. condita, post à Vratislao Bohe-
mo, cui nomen debet, instaurata, Cumq; An. 1341. tota in fa-
villas abiisset, à Carolo IV Roman. Imp. S. A. in magnificam
hanc formam resuscitata & exstructa, quâ nunc plerarumqve
Germaniæ Urbium luminibus obstruit, adeò ut ordinatissimæ
pulchritudinis palmam cum solâ *Monaco*, secundum *Mich. Pic-
cartum in Comment. ad Polit. Aristot. lib. 2. c. 8.* (*Cluverius l. 3. Intröd.
Geogr. cap. 13.* addit *Lipsiam*), communem sibi, omnibus cæteris,
quantum usquam in terrâ Germaniâ est Urbium, præripiat.
De Templis & Monasteriis hujus Urbis XXIV, Scholis III, Cu-
riâ, Senatu Magnifico, Palatiis eximiis, Fatis item variis apud
laudatos hactenus Auctores plura reperies, præcipue autem
commendandus hîc est cum maximè memoratus nobis sæpies
Urbis

1829

Urbis hujus Syndicus meritisimus D. n. D. Henelius qui peculiari eam claravit scripto. Novoforum, Novimarcam *Schrædero*, Namslaviam, Lisfam.

XXI. Svidnicensis Urbes sunt: Svidnicium, maximo tormento æneo bellico celebre, Strigovia, Reichenbachium, Bolconis fanum *Bülkenhain* / Landishuttum, Frideberga, Freiberga, Waldtberga, Zobotum, Gotsbergum, Neuroda.

XXII. Javorensis sunt: Javorazs. Jauravium [præve *Ortelio l. c. Laue*, *Mercatori* vero totus Ducatus Hurenensis in *Atl. Maj. l. d.*] Boleslavia *Bunzlau* / clara tot Vatum & Doctorum Virorum partu, Leorinum & emberg & hæc Parens Magnorum in litterariâ Rep. Virorum. Hirschberga, Gryphimontium inificiis celebratissimum; Schoenavia, Naumburgum ad Qvisum, Lehnium, Frideberga propè Qvisum, Lubenthalium, Schmideberga, Kupferberga.

XXIII. Glogoviensis: Glogovia major ad Viadrum, antiquum egregieq; munitum opidum, Freistadium, Gura, Sprotavia, Grünberga Silesiorum Prasia, Svibusium, quæ in plerisque tabulis, immerito extra Silesiæ terminos collocatur, Polcovitium, Beuthena ad Oderam *Cunæ* Betania, Cöbena (*Schrædero* depravatè Rabena) Schlava, Wartenberga ad Oderam, Neustadium minus *Neustädtlin* / Primkavia.

XXIV. Saganensis: Saganum ad confluentem Boberæ & Qvisi. Pribusium, Naumburgum ad Qvisum; vocantur in quibusdam privilegiis Ducatus in numero multitudinis.

XXV. Oppaviensis sive Troppaviensis, Oppavia vel Troppavia urbs satis ampla, frequens & speciosa, Ostra (non Odera ut habet *Schikfus. l. 4. c. 20. Schræd. l. c. & Merc. in Atl. Maj. d. l.* ea enim Moraviæ vicus est, cujus meminimus *ib. 16.*) Hilschium, Kranovicium, Freudenthalium, Benischovia, Wochitadium, Karschor. Hæc & D. Henelius habet. *Schræderus, Mercator & Schikfusius* addunt Kunsbergam, Laslam, Wigstadium & Neukircham.

XXVI. Oppoliensis: Oppolia ad Viadrum sita, Glogovia minor, Neostadium, Rosenberga, Bythonia ad radices Carpathi, Tarnovitium, Glywizium, Tostum, Strelicia major &

1830
minor, Falkenberg, Lublinitium, Schurgastum, Weiskre-
tschem, Lesnitium, Gortzoba, Dobrodin, Steinavia ad fluvium
cognominem, Fridlandum ad eundem, Krapitium, Sas-
sincovitium, Pruscavia, Nackel, Vyastum, Schlawenticum,
Zültz, Kosla. *Mercator in Atl. Maj. & Schickf. lib. 4. c. 18. p. 122.* ad-
dunt & Grosmark de qua apud *Henelium* in Noticia Urbium
Silesiae silentium.

XXVII. Ratiboriensis: Ratiboria ad Viadrum antiqua
Urbs cum arce, Oderberga, Sora, Ribnicum, quas habet *Henel-
ius*, qui & Losfam. forte ista Lasla Reliquis *ib. 25.* Addunt
Schraederus Pillawiz: & hanc & Miskowiz *Schickfus. lib. 4. c. 19.*
p. 132. & Merc. Atl. Maj. p. d. qui eas etiam signo Urbium in Tab.
designavit.

XXVIII. Teschinentis: Teschena, Sclopetorum nobilium
confectione famigerata, Freiberga, Freistadium Superius, Bi-
licium, Scotzovia, Fridecca, Jablunca arce validissimamuni-
ta, Struminum. Addunt Miskaviam *Schraederus l. d. Schickfus.*
4. 4. c. 17. p. 124. Merc. l. d. qui non item in Tabula.

XXIX. Nisensis: Nisa, quae praebet interdum Episcopo
Vratislaviensi sedem, unde deceptus est *Ortelius*, ut in *Theatro*
suo in desc. Silesiae statuerit Episcopalem sedem primum Nisae,
inde Vratislaviam translata fuisse; cum tamen constet ex
caeteris Scriptoribus primum Smograe, inde Bicini, tandem
Vratislaviae Episcopatum illum fuisse V. pra caeteris D. *Henel.*
Breslogr. c. 3. p. 11. Silesiogr. c. 6. p. 61. Grotcovia, olim Principatu
clara, Otmachovia, Wansena, Zigenhals, Freivalda, Hotze-
ploz, Javernig, Kaltenstein, Patseovia, Cantium, Zugmante-
la, Weida, Warta.

XXX. Lignicensis: Lignicium Urbs satis ampla, sed gravi
nuper incendio vexata miserè est, caeteris per Silesiam omni-
bus, si discesseris à solâ Metropoli praecedit: Goldberga,
Scholâ sub Trocendorffo Rectore celebrata: Lubena, Hai-
novia, Wolavia, Parchvicium, Steinavia ad Oderam, Win-
cigium, Ruda, Hernstadiu, Nicolopolis, Walstadium, cui du-
bio procul hoc nominis indidit praedium illud cum Tataris
difficilimum, quo Henricus Pius Dux Lign. occubuit, cumq;

eo tanta Christianorum Copia, ut auriculis singulis præcis Tatari explerent novem ingentes Saccos. Historici in eo concordēs sunt.

XXXI. Bregensis: Brega ad Viadrum sita Urbs amœnissima juxta & munitissima, Olavia, Strela, Nimitium, Bicina, Cruciburgum, Levvinum, Reichensteinium, Silberberga, Schikfusio præter has & Michelavia. Schæderus & qui eum videtur in plurimis in hæc Urbium enumeratione secutus Mercator Atl. Maj. l. c. Urbes Ducatus hujus & Lignicensis variè confundit.

XXXII. Monsterbergensis: Monsterberga urbs antiqua amœno situ & Francosteina, Reichensteinium & Silberbergam, Bregensis; Wartam, Nisensis districtus Urbes, Schæderus cum Merc. ll. cc. huic adscribunt territorio, sed res hodie aliud loquitur.

XXXIII. Olsnensis: Olsna Urbs Ducalis cum Arce & Palatio Principis nobilissimo, magnâ olim tempestate Silesiis omnibus nota: Bernstadium, Festenbergam, Cunstadium (Schæd. minus accuratè Rhienstadium) Stroppavia, Trebnitium cum magnæ famæ Cœnobio, Medziboria, Hundsfeldam.

XXXIV. Jägerdorffensis: Carnovia f. Jegerdorffium, Benscham, Zaudicium, Engelsberga, Leobschucium agris omnium fertilissimis beatum. Schikfus. addit Boberau lib. 4. cap. 21. p. 139. quod nusquam aliàs reperio.

XXXV. Crosnensis: Crosna ad Boberæ & Viadri Confluentem: vetusta Urbs, Züllichia, Bobersberga, Sommerfeldam.

XXXVI. Baronatus Wartenbergensis opida sunt; Wartenberga propè Weidam, Cobelgura & Bralinum; Militzensis Militium, Freihanū (in plerisq; tabulis immeritò excluditur e confinio Silesiæ) Zulauff: Trachenbergensis: Trachenberga, Pransnitium. Plesensis Plesia. Beronam, Mikkolau, Mislovviz addunt Schæd. & Merc. ll. cc. de quibus nihil Cl. Henelius noster. Illa autem in tabulis extra Silesiæ limites posita, ista, ni fallor, est Schikfusii Michelavia lib. 31. hæc eidem memoratur in Ratisbonensi Princ. lib. 27.

bvp

XXXVI.



1872
XXXVI. Et hæ sunt Silesiæ Urbes pleræq; mœnibus omnes præter XXX plus minus cinctæ. In quibus si subodoraris fortean cadavera, peste belli corruptorum hætenus opidorum, noveris, spem resurrectionis, ut sic dicam, nos de iis cepisse, præsertim desideratissimus dudum pacis Sol si diffuderit radios pleniore vultu, *quod faxit æquum Numen*. Numerus recensitarum à nobis ad CLXX assurgit: unde vides non dixisse nimium *Mercatorem* qui 160 aliosq; qui 150 numerant. Castra & Arces non paucas, villas item pagosq;, quorum si *Schwenkfeldio in de thermis Hirsbergensibus* fides apud *Schikfus. lib. 4. c. 7. p. 43.* tum temporis fuere XIX millia, incredibilis certè copia, di numeraverit vix, si præsto esset, Archimedes; mihi vero monente chartâ silentium de iis fovendum.

XXXVII. Cæterum hoc addi adhuc debet; Ducatus Lignicensis & Bregensis suos adhuc habent Principes, Veteris Piastæ stirpis, Crosnensem Ser. Elector Brand. tenet, Carnoviensem Lichtensteinius Dux, Techinensem Vidua Ducalis profapia Teschinensium Principum extinctâ superstes moderatur: Olsnensis, Ducibus ejus Monsterberga-Olsnensibus sexûs nobilioris omnibus extinctis, per connubium unicæ relictæ Filia Illustrissimæ habet nunc cum Illâ Dominum Illustrissimû S. Rom. Imp. Principem ac Dominum, Dn. SYLVIVM Ducem Wûrtembergæ &c: qui Celsissimus Heros Silesiæ hætenus satis afflicte nova Columna, Agalma novum, Litterarum & Litteratorum Nutritus maximus optimus longum longum crescat, precor, floreat, VIVAT! Baronatus Baronibus suis parent. Cæteri vero Ducatus immediatè, ut loqvuntur, subsunt Imperio Serenissimi Bohemiæ Regis, qui hodiè Invictissimus & gloriosissimus R. Imper. S. A. FERDINANDUS III &c. cum Majestatis suæ Filio primogenito, Ejusdem Nominis IV, Coronato Praga ante triennium, quibus Vita & Felicitas.

XXXVIII. Principes & Reges Polonos qui Silesiam primùm tenuere, tempora quibus à Polonis divulsa est Regio, Ducum in illâ longam seriem, Magistratum variorum mûnia, aliq;

IVXXX

qvæ

quæ Historicis conveniunt magis, ne πῶδα, quod Græci dicunt, ἐν ἀλλοτρίῳ χόρῳ τιθεῖσθαι videamur, ipsis relinquimus, tractata satis à laudatis hactenus Silesiæ Scriptoribus. De cætero subjungit nunc sese priori

SECTIO POSTERIOR

Continens

Positiones quasdam de Silesiâ problematicas.

I. Veterum Silesiæ incolarum nomina, cum aliis Germaniæ populis communia ipsis, dicta sunt facilia. Transeo Judæos, quibus dicti sunt אֲשֵׁנַיִם אֲשֵׁנַיִם V. Buxt. Lex. in voce Ascenas. Dicti sunt (1.) Hyperborei. Græcis scil. antiquissimis Septentrio omnis in Europâ ad Caspium mare usq; quod terminum inter Asiam, Europamq; statuebant, in tria gentium dividebatur genera ac nomina: Arimasporum, Sarmatarum & Hyperboreorum. Extremi hi Celtas h. e. Hispanos, Gallos, Germanos, Illyrios complectebantur. Accepimus id à Sole Geographorû Cluv. l. 1. G. A. c. 2. V. Schikf. l. 1. c. 3. p. 15. Strab. l. 11. p. 507. editionis Casaub. ubi adducit & Pindarum, qui apud Hyperboreos statuit Iltri fontes. Existimo e quidem locum esse Olymp. γ. ε. α. & ε. β. Audierunt (2.) Scythæ Postillos enim Græci alii, quos Strabo vocat παλαῖς l. 7. ut refert Cluv. l. 1. v. præter suam regionem constituere partes mundi duas, alteram, in quâ nunc Europa atq; Asia, & Scythiam dixere, alteram huic meridiem versus è regione oppositam, & Æthiopiam adpellavere. Nuncupabantur (3.) Celto Scythæ. Græcis adhuc seqvioribus, quibus Scytharum gens Asiatica simplici isto, Europæa Celto Scytharum nomine dicta est. V. eund. Cluv l. all. (4.) Celta postea. Id quod prolixè & operosè probat Cluv. l. all. cc. 4. 5. & seqq. Comprehendebantur autem hoc nomine in genere omnes Europæi, in specie verò Germani & Galatæ, auctor est Georg. Phil. Harsdörff. Specimine Philol. Germ. disq. 2. V. & Wolfg. Laz. de migr. Gent. l. 1. c. 6. (5.) Germani sunt. Vocabulo ipsis Germanis barbaro, si seqvitur Cluverium Lc. quantum varias mirasq;

C



mirasq; derivationes recenseat *Harsdörf. l.c. §. 2. & seqq.* *Herodotus* expressè Germanorum nomen recenset *l. 1. n. 126. edit. Stephan. p. 1680.* ut citat laudatus Philologus, qui inde *Tacitum* erroris incusat, dicentem, *Germania nomen recens esse l. de mor. Germ. c. 2. V. Althamm. in notis ad Tac. Germ. & Bernegg. quæst. Misc. VII.* Ingenuo Germanis vocabulo sunt (6.) *Die Teutschen oder Deutschen* à nomine Celtico *Teut* oder *Deud/duid* &c. pro variantibus dialectis, quod *Deum* notavit. huic adjectâ terminatione *isch* factum *Teutsch/ deutsch/ düidisch* & contractè *Teutsch* &c. *V. Cluv. prolixè & evidenter deducentem ista l. 1. G. A. cap. 9.* Eadem est sententia *Megalandri Lutheri* apud *Harsd. l.c. §. 10.* At, *Germania* magna siquidem rursus diversas in nationes distributa est, *Silesii* sunt (7.) *Germani TransRhenani*, quod manifestiùs quam ut deductione latiori usus sit. Sunt (8.) *Svevi.* *Tacitus* enim, tamenetsi non disertis verbis, in tres partes *Germaniam Transrhenanam* dividit, quarum una est inter *Rhenum & Albim*, *Oceanumq;* *Germanum & mare Svevicum*, quod *sinus Codanus* est *Plinio l. 4. c. 12. ac Meib. l. 3. c. 3.* altera inter *Salam Albim*, *Vistulam*, *Danubiumq;* flumina & *mare Septentrionale*, quam uno nomine *Sveviam* appellat; tertia ultra *Vistulam* est ad *Sarmatarum* usq; *Confinia* protensa. Sed *Taciti* (cum quo & *Dio Cass. l. 55. de Druso & Æthicus alicubi* rectè vocem usurpat) *Svevi* sunt; non item *Cæsaris* & qui eum sequuntur, non item hodiè *Svevi.* *Cæsar* enim quod 8. rationibus probat, *Cluverius l. 3. c. 5.* *Cattos* in *de bello Gall. l. 4.* *Svevorum* nomine falsò appellat, cumq; eò deinceps *Strabo l. 4. Dio l. 51. Svet. in Aug. c. 21. Flor. l. 4. c. ult. & alii.* Deinde uno atq; altero *Taciti* post ætatem seculo, cum *Svevorum* *trans Salam atq; Albim* nationes propriis ac discretis ab invicem nominibus clari haberentur, soli *Hermunduri* dicti sunt *Romanis Svevi*, & regio eorum *Svevia*, ut ait *Cluv. l. 3. G. A. c. 28. & ex Oros. l. 7. c. 15. & 38. Fl. Vopisco & aliis* deducit latius. Nos hîc telam hujus positionis rumpimus.

II. *Veterum Silesie incolarum ante & circa Taciti ætatem, nomina propria & specialia dictu sunt difficiliora.* Quados pleriq; hætenus crediderunt *Silesiam* olim incoluisse (forte & coluere

1575
luere aliquando sequiore paulò ætate partem aliquam Sup.
Silesiæ expulsis Osis, siquidem Transjugitanorum Qvadorum
meminit *Marcell. l. 17.*) Sic *Hulfus p. 88.* Sic *Bertius l. c. Silesiam*
olim Visburgii & Qvadi coluere. Elysi, (quorum nomen ta-
men magis alludere ad Lusatos ei videtur.) Lygii & Qvadi
Peucer. Chron. l. 4. p. 618. 621. 640. Lygii *Dresser. Isagoge hist. part. 5.*
fol. 353. & seqq. Mercat. Atl. maj. p. 108. in descript. Germ. ant. Bati-
ni, Luti Buri, Sidones, Cogni; in tabulâ verò Ortelii, quam an-
nectit ille, etiam Illingæ, Helveconæ, Elifii, Lygii (qui cor-
ruptè sunt Luji & Luti aliis in locis, ut censet Cluv. l. 3. c. 42.)
Corcontiiq; Schikfusius Tacitum, sequi se velle asserit. Be-
ne. Optimus hic Dux nobis: seligamus Tacitum. Ponit au-
tem *Schikf. l. 1. c. 1. p. 5.* Hermunduros illius ad fontes Albis, &
sic in Bohemiæ circulo, quanquam fateatur eorum fines et-
iam fuisse inter Salam & Albim olim, quem ipsorum distri-
ctum in delineatione suâ *Cluverius* retinet, *Tacitum* autem er-
roris reum agit, in eo, quod apud Hermunduros Albis fontes
statuat. Nec (*l. 3. c. 28.*) gravitate autoris se moveri patitur,
quin veros Albis fontes eum ignorasse audacter affirmet ar-
gumentis subnixus validissimis: præsertim eo quod ex *l. 2.*
ann. Taciti ipsius haurit de pugna Arminii & Marobodui, quo-
rum hic ab illo victus concedit in colles, qui non nisi Herci-
nii saltus & montes esse possunt in eo latere Bohemiæ, quâ
tangit Misniam, ubi nunc *Anneberg & Marieberg.* Urbes, atq;
sic se recipit in Marcomannos, in latebras Herciniæ suæ,
quam ejus Regiam *Strambo* vocitat. Marcomanni ergo Bo-
hemiam incoluere & sic quoq; Albis fontes, non Hermundu-
ri, in quibus, utpote inter Cheruscos & Marcomannos mediis
pugna facta est. Quin *Tacitus* ipse assertum illud suum suspe-
ctum reddit his additis verbis: *Flumen inclitum & notum olim,*
nunc tantum auditur. Tres autem sat magni & æquales propè
alvei ad Opidum Bohemiæ Budynie concurrunt, unus ex
oriante Albis est, alter ex meridie Moldaviæ, tertius ex oeci-
dente, Egræ; hunc ipsum in tabulâ aliquâ Geographicâ arbi-
tratus est *Tacitus* Albis esse Caput. Hic autem oritur in
Confinio Hermundurorum, Quoniam ergò *Schikfus.* Her-
mun-

1836
munduros cum *Tacito* errans ad Albis fontes locat in Bohe-
miâ, hinc postea Marcomanni ei fiunt Moravi; Qvadi, par-
tim Moravi partim Superiores Silesii. Sed quid clarius ex hi-
storiis istius temporis elici potest, quam Marcomannos, Bo-
johæmum incoluisse. Hinc merito album addimus calcu-
lum *Cluverio* qui *Taciti* Qvados deinceps in Moraviâ locat.
Dicuntur enim hi *Tacito* Germanie frons esse, quâ Danubio præ-
rexitur Sed si Silesii Qvadi sunt, quomodo conveniet sibi au-
ctor gravissimus! Silesia enim à Danubio non exiguo distat
intervallo. Retro ergo à tergo Qvadorum sedent *Tacito* Go-
thini, Osi, Marsigni, Buri ad Semnonas usq; Svevorum gen-
tem maximam: quos *Paterc. l. 2.* voce vitiatâ Senonas vocat,
cum tamen *Strabo l. 7. Ptolem. l. 2. c. 11. Zosimus l. 1. Tacitus l. all.*
scribant Semnonas: *V. Cluv. l. 3. c. 25.* Et hi sunt veteres Silesiæ
incolæ. Possederunt autem Semnones cum Marchiâ Brand.
parte Misniæ, &c. in Silesiâ Ducatum Crosnensem agrumq;
eum quâ nunc Glogovia, Saganum, Sprottavia Urbes visun-
tur. Marsigni celeberrimam Silesiæ partem, quâ nunc
Vratislavia, Nissa, Monsterberga, Brega, Svidnitium, Stri-
govia, Lignitium, itemq; Comitatum Glacensem: Buri Du-
catum Olsnensem, tres Baronatus cum Poloniæ magnæ par-
te aliquâ. Osi Ducatus Oppoliensem Ratiboriensem, Trop-
paviensem. Gothini Teschinensem cum consiniis. Dum er-
gò hos mittens *Schikf.* Inter Lygiorum nationes quærit Vete-
res Silesiæ incolas, vereor, ut inveniat. Elisi eum blando &
cognato quasi hodie-nomini Silesiæ vocabulo decipiunt, Ly-
gii pariter confinitate soni. At meminerit, *Tacitum* Lygio-
rum nationes omnes locare trans continua montium juga,
quæ scindunt ipsi Sveviâ, sunt autem Asciburgius Ptole-
mæi mons, qui tantum abest ut sit Sabotus, ut potius huic col-
latus infinitis partibus eo major fuisse deprehendatur: à
Sarmaticis jugis procedens Carpathus mons est, qui Silesiæ
superioris primùm terminus, inde procurrat per Poloniam ad
usque Venedicum sinum. Elisi ergò ultra hunc montem
Tacito locati & cum ipsis Lygiorum nationes omnes in nunc-
Poloniæ agris incoluere. Sed inhibendus hic sermonis cur-
sus.

sus. Finio & hanc positionem verbis *Cluverij* nostri l. 3. c. 33. *Elysijs pleriq; nostri seculi Geographi putant esse eosdem qui nunc Silesii &c. Et potuerunt quidem suis sedibus à Slavis pulsati in eam, quæ nunc dicitur Silesia, transmigrasse. Verum ego per nudam hanc conjecturam haut temerè quicquam in autore tam gravi immutaverim.*

III. *Silesiorum Metropolis Vratislavia non est Budorgis Ptolemai.* Iniquus dicendi Magister usus est, communi eruditorum iudicio. Hic obtinuit hætenus ut passim in carminibus Breslam Silesiæ oræ Smaragdum vocarem, ut vocemus etiam nunc. Ipsi Geographi quid ad hoc? *Merc. Atl. Maj. p. 336. alii vocant Budorgin. Sebikfus. l. 4. c. 8. de Vrat. videtur seriò id affirmare.* Dubitanter rem referunt *Bertius pag. 447. Merc. Atl. Maj. l. c.* At excutiamus ipsam *Ptolemai* paginam. Is ponit l. 2. c. 11. Budorgidos suæ longitudinem 40. 0. Latitudinem 50. 30. At nostræ Vratislaviæ longitudo est 41. 40. Lat. 51. 10. Differentiam vides non omninò nullam. At tabulam cerne *Ptolomæo* additam à *Münstero*, ibi bone Deus quanto à Viadro ad cuius tamen ripam hodiè renidet, intervallo separata est. Albi certè propinqua, fermè, quantum Hypanis Veneto disidet Eridano, tantum ipsa ab eo Viadri loco cui nunc adjacet. Subscribimus ergò lubentes meritoq; sententiæ *Ampl. D. Henelii* qui *Breslogr. c. 2. p. 8.* pariter negat.

IV. *Silesiam concelebratissimæ Herciniæ Silvæ partes adhuc tangunt.* Fuit ea per omnem Germaniæ continentem diffusa, adeò lata ut IX. dierum itinere vix permearetur; longa verò, ut nemo quisquam in ipsâ tum fuerit Germaniâ qui se adisse ad initium ejus Silvæ diceret, quum dierum iter LX. processisset, aut ex quo loco oriretur, accepisse, narrat nobis *Cæsar l. 6. de B. Gall. consentit, Melal. 3. c. 3.* Hujus hodiernum magnæ portiones manent der *Schwarze* (hanc Herciniam adhuc vocat *Dn. Hentznerus in Itin. p. 25. n. 93.*) *Anspacher Steiger, Odenwald, der Speppard, Wester, Döringer, Böhmer, Hark, Wald.* Nomen enim hoc vetus solum retinuit paulò supra Basileam Rauracorum Augustam. Cæterum Silesiam tangit in Con-

1838
finio Hungariæ & Moraviæ, Bohemiæ item, ubi quæ hodiè
der Böhmerwald olim quasi proprio ac peculiari vocabulo &
sic κατ' ἐξ ὄχλου veluti dicta est Hercinius saltus, uti ex Strabone
l. 7. Patere. l. 2. Tac. l. 2. ann. satis superq; demonstrat frequenter
nobis memoratus Cluv. l. 4. G. A. c. 47.

V. *Silesiæ Fluviorum Princeps Viadrus Plinii Guttalus est.*
Cluv. l. 3. c. 49. sic Schikf. l. 1. c. 1. p. 5. Ortelius in tab. Sunt quidem qui
negent. Dissentire enim si quibus autoribus, certè Geo-
graphis perfreqvens est. Arbitrari autem hîc in controver-
siis, vel, ut alicubi Isidorus ait, divinare licet. Plinius l. 4. c. 14.
recensens fluvios Germaniæ: *amnes clarissimi*, ait, *in Oceanum*
defluunt, Guttalus, Vistillus (s. Vistula) *Albis, Visurgis, Amisus,*
Rhenus, Mosæ. Hîc Guttalum nonnulli dicunt Borussia
fluvium Alliam *die Allē* qui propè Kunigsbergam in Prægo-
lam delabitur. Et Junius quidem citante Cluv. l. 3. G. A. c. 49.
ex ordine negat Guttalum esse Viadrum, quia præponatur
Vistulæ, Vistula autem Viadro prior sit, si dinumerare inci-
pias à Septentrione Germaniæ fluvios. At Solinus Plinii Epito-
mator Plinium eo nomine videtur corrigere, sic recensens c. 23.
de internis ejus [Germ.] partibus Albis, Guttalus, Vistula, amnes
altissimi præcipitantur in Oceanum. Adscribam adhuc Cluverii
eo de negotio verba aliquot, quibus nostra hæc thesis obsir-
matur quàm optimè. Ita autem ille l. c. *Verum ego vereor, Ju-*
anium hac in re vehementer errasse: primum quia Plinius clarum
& Solinus altissimum Guttalum memorant, quorum neutrum Allie
tribui potest, amni nimium exiguo ac tenui, si Vistula, Albis, Visur-
gis, Rheni ac Mosæ magnitudinem respicias: tum verò credibile
non est hunc voluisse Plinium in claris Germaniæ amnibus memora-
re, Viadrum autem altissimum clarissimumq; amnem negligere;
neq; Allia in Oceanum suo ore effunditur, sed in Prægolam transit,
à quo post L. circiter millia passuum per lacum qui vulgo dicitur
das Frische haf Oceanosive mari Suevico redditur. Quin hoc et-
iam, haut parum contra Junium valet argumentum quod Plinio
nulla ultra Vistulæ ostia statuitur Germaniæ &c. Hæc Cluverius.

VI. Idem

VI. *Idem annis Svevus Ptolemai fit, necne, non aequè certum.*
Cluverius quidem l.3. *Germ. Ant. c. 25.* inclinatur in eam sententiam, ut existimet, *Ptolemaum* flexibus & juncturis fluminum in *March. Brand.* turbatum, facile errare ibi potuisse in denominatione *Viadri & Svevi*, ac si essent diversa duo flumina; *Svevum* autem eundem esse cum *Viadro* apparere quasi ex Ostio ejus, quod inter binas insulas *Usedom & Wollin*, adhucdum vocetur *Swine & Svene* quasi à *Sveonibus* vel *Svionibus* sive *Svevis*, aut *Svevi* nomine antiquo: itemq; ex accolarum *Semnonum* nomine generali *Svevorum*, quod forte fluvius hic ipsis dederit. Sed videtur ipse id fiducia parum certà satis dubitantibus asseverare verbis. Cum igitur ad *Sprevam* quoq; amnem quem hodiè *Svevum* communiter vocant, *Semnones* federint, magniq; *Viri* contra *Cluverium* sentiant, nescio, utrum illius an horum sententia cretà vel carbone notanda sit. *Svevum* autem contradistingunt *Oderæ* *Merc. Atl. Min. in March. Brand. Schæd. l. 1. c. 4. p. 152. Bert. in descript. March. Brand. p. 442. Schikf. l. 1. c. 1. p. 5. Henel. Sil. cap. 3. p. 21. Paul. Hentzn. Itin. p. 3. n. 10.* alii. Insularum illarum *Usedom & Wollin* incolæ veteres videntur *Tacito* esse *Svionæ* l. c. Vide ergò num ab illis potius ostii illud nomen, quàm à fluvii dubio nomine *Svevi*. Equidem vix dubito. Cæterum *Viadrus* variè audit. Apud *Ptolemaum* legunt alii *ῥιάδου*, *ῥιάδου*, *ῥιάδου*. Hodiè est *Odera*, *Helmoldo* in *Chron. Slavorum* *Odera*. Germanicè die *Oder* aliis die *Uder*, aut à latino *Viadri* nomine, aut si *Duglossio* apud *Schikf. l. 1. c. 1. p. 5.* credimus à rapiendo, lingvâ in *Heneticâ*.

VII. *Silesia fluvios rivulosq; auriferos habet.* Ponat supercilium superbus *Hispanus*, qui *Tagum*, *Tarium*, *Dunium*; ponat *Italus*, qui *Padum*; ponat *Lydus*, qui *Pactolum* & *Tmolum*; ponat novus orbis, qui *Zenea*; ponat *Indus*, qui *Gangem* & *Hydaspem*; ponat reliqua *Germania* quæ *Rhenum* jactant *Ζευσορροός*: in *Silesiâ* id rivulis etiam fluviolisq; divinitus datum est, quod illi in maximis deprædicant fluminibus. Hic *Cattus*, hic *Bobera*, hic *Zacus*, hic *Isara*, (hinc & vocatur *Germaniæ die Goldbach*) hic rivus *St. Georgii* ad

1839 1840

QX
To
366

gii ad Hirsbergam, hic torrentes prætereâ nonnulli in Ligni-
censi, Jaur. Svidn. & Nissensi Ducatibus arenas auri ramentis
interstinctasvolvunt: quæ ramenta lavantur ab aurilegulis.
Negas fidem? Ejus gratiâ Illustrissimus Dux Lign. & Breg.
Georgius II. Subinde catenam ex auro fluviali Silesiæ conflatare
gestare solitus est. V. *Hen. Siles. c. 2. p. 13. Schikf. l. 4. c. 5. p. 34.* Audivi
ego ex *avro Maig* ante paucos admodum annos adhuc Lignicæ
aurilegulum talem fuisse. Sed ad metam. Sit positio ultima ea-
que in ordine.

IX. *Silesia satis à Deo bonis plurimis mactata est.* Ab ipsius
benignitate habet messes largas, quæ horreis non rarenter ca-
pi non potuisse, ipse vidi, habet prata vernantia, pecudum
populos ingentes, vineas quoq; (nec enim Baccho prorsus
inimica est Silesia, ut vult *Dubravius Scriptor Pol. ap. Hen. Siles.
c. 7. p. 11.*) metalla, lapides, gemmas, vitra, [aliaq; humanæ in-
digiæ sublevamenta. Sed hæc ei cum aliis communia
sunt. Proprium ipsi uni bonum *rubia sativa*, tincturis com-
modissima; *Cujus colorem Garantiam Provincia & Belgium vo-
cant.* V. *Scal. ex. 325. sect. 7. Henel. Siles. c. 2. p. 11. Schikfus. l. 4. c. 5. p.
33.* Nec *linificiis* ei par gens alia. Ad Strigoviam [errat *Ortelii
Epitomator qui l. sup. c. propè Nissam id fieri scribit*] eruitur in
fodinis montis S. Georgii *terra subrubra*, quàm reperit Cli-
micus insignis *Johannes Montanus*; orbiculari formâ, sigillo
probatae notæ impresso signatur, unde ei *terra sigillata* nomen.
Lemniæ terræ vires habere, superare etiam quibusdam credi-
tur. In Lignicensi Ducatu candida talis terra generatur &
effoditur. Quâ de re & aliis Silesiam meam concernenti-
bus V. plura ap. *Curaum, Henelium, Schikfusium laudatis passim
locis*; mihi verò, dum, quantum per ingenioli tenuitatem, au-
torum inopiam, chartæ temporisq; angustiam potui,
egi, Chorographica hæc de terrâ patriâ disqui-
sitio hic EXPLICIT.

T. O. Δ.

1014

nc



igni-
rentis
gulis.
Breg.
atam
ndivi
nicii
a ea
pfius
er ca
idum
orfus
Siles.
æ in-
nunia
com-
m 20-
c. 5. p.
Ortelii
tur in
Chi-
gillo
men.
redi-
ur &
enti-
passim
n, au-
n,
gna
mue
alvib
iniaz
dard)

ULB Halle 3
002 682 613


WONA





K.
273

DISPUTA

S

VIRI AM

DN. CH


GES / Ma

Fac. Philos. h

pla

CAROL

Hab



Typis Johan



HICA


QUE

EM

Amplisf.

cepto-

lesius.



to cIL.

1817
No 366

